

bracteis obtusis suffulti. Petala tria inferiora sunt utrinque sinuata, apice bifido. Superiorum duo lateralia sunt spathulata, obtusa, & superne revoluta: summum intermedium est arcuatum, paulo longius, angustum, apice latecens. Stylus est longitudine filamentorum.

## SERIOLA ÆTHNENSIS.

*Tab. 79.*

SERIOLA hispida; foliis obovatis, subdentatis. *Linn. syst. pag. 526.*

*Spec. pl. 2. pag. 1139.*

Archyrophorus hirsutus, Bellidis obtuso folio. *Vaill. act. 1721. pag. 278.*

Hieracium multicaule, Bellidis folio molli. *Bocc. app. 8.*

Planta est annua, tota leviter lactescens, & fetis albicantibus molibusque hirsuta, imprimis autem in foliis & calycibus. Folia radicalia & caulina inferiora sunt obovata, basi longe attenuata, obtusissima, dentata & subaspera. Caulina summa lanceolata, acuminata, integerrimaque. Caulis ramosa in pedunculos unifloros longosque abit. Calycis simplissimi foliola linearia sunt numero ut plurimum tredecim. Inæqualiter quinquefidæ corollæ luteum intus colorem habent, extus leviter purpurascent. Receptaculo paleæ lineares insident, apicibus setaceis & flavicantibus. Pappus est plumosus.

## CICHOREUM PUMILUM.

*Tab. 80.*

CICHOREUM floribus sessilibus; radice annua.

Satum primo vere, floret a Mayo ad Augusti finem. Quotannis una cum radice periit. Ex radice fibrosa caulis exsurgit vix pedalis, asper, hirsutus, & parum ramosus. Folia sunt oblonga dentataque; infima obtusa basibusque subruncinata; summa integra & acuta; dorso villosa. In axillis flores sedent aut solitarii, aut saepius plures aggregati, corollis cæruleis. Diversissimam speciem credo a Linnaeanis. Patriam ignoro.



*Cichoreum pinnatum.*